



Nr. 24.

27

PROGRAMMA  
QVO  
**LITTERARVM**  
**PATRONI**

AD AVDIENDAS TRIVM SELECTAE CLASSIS:  
*ALVMNORVM ORATIONES NOVISSIMAS*

ET  
**AD EXAMEN SOLENNE**  
IN ORPHANOTROPHEO GLAVCHENSI

D. XII. ET XIII. APRILIS A. CIO 10CC XXXIV.

HABENDVM INVITANTVR

ET IN QVO

DE  
**HODIERNA IVVENTVTIS**  
CORRVPTIONE EIVSQVE CAVSSIS  
DISSERITVR.

---

HALAE MAGDEBURGICAE

ac.

LITERIS JOHANNIS CHRISTIANI HENDELIN

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt  
urn:nbn:de:gbv:3:1-129143-p0003-0





Jantum inter sit reipublicae & ecclesiae, iuuentutem recte institui atque educari, nemo est, qui ignoret. Si itaque hodiernam orbis christiani faciem intuemur, & quantopere omnia depravata atque deperdita sint, conspicimus:

minime a vero nobis aberrare videmur,

si non exiguum culpae partem in eos conferimus, qui educcendae formandaeque iuuentuti praesunt. Hi enim cum plerumque in re grauissima negligentiores sint, non potest fieri, quin omnia in deterius ruant; adeo, ut non nisi paucissimi in republica & ecclesia reperiantur, qui vestigiis seruatoris instantes malint esse christiani, quam videri. Verum nos dicere ipsa res loquitur, ideoque testimonii non est opus, neque nos ingenue fateri & eloqui pudet calamitatem temporis nostri, quam acerbe dolemus, malis in infinitum crescentibus, quantum in nobis est, mederi cupientes.

Cura itaque ex nostra schola hoc tempore aliqui discessuri sint, & vt de argumento utili & necessario hac occasione agatur, consuetudo postulet; materia de hodierna iuuentutis corruptione eiusque caussis sponte se nobis obtulit: has enim indagare, & fideliter indicare nobis non solum per quam facile, sed etiam fructuosum est. Cum autem argumentum hoc amplius maiorisque momenti sit, quam vt omnia, quae adferri possunt, in praesenti exponere liceat, nunc et tantum indicare impedimenta lubet, quae grauissimo huic negotio in domo paterna obiiciuntur, & quibus tantum non omnis magistrorum labor in erudienda iuuentute collocatus irritus redditur. Duo autem in formandis instituendisque liberis praeципue esse obseruanda statuimus: primo vt in tenera aetate illum colere, amare & venerari discant, qui pretioso sanguine suo eos redemit, grauiterque illis irascitur, qui in tanta re perfide agunt; deinde eo quoque cura debet dirigi, vt iuuen-

tes

nes salutarium rerum disciplinis imbuantur, ne oneri aliquando, sed usuis sint reipublicae. Quantopere vero parentes plerique haec vel prorsus negligant, vel peruersè tractent, demonstratu non est difficile. Quod ad primum attinet, non sufficit christianaे vitae pietatisque viam praeceptis demonstrari, quorum tenuis valde atque exiguis est usus, nisi isti, qui dant, bonum simul exemplum praeeant. De pietate verba facere hodie in consuetudinem fere vbiique abiit, imitari autem Iesum Christum, collumque iugo eius submittere spretis & abiectis perditī seculi vanitatibus, res pene ignota facta est, etiam apud illos, qui bonam prae se speciem ferunt. Facile esset de omnibus id ordinibus ostendere, si huius locies esset, sed perlustremus priuatas domos, in quibus liberi nascuntur & aluntur, & quas pietatis bonaque mentis officinas esse deceret, si nomen, quod a seruatore accepimus, tueri vellemus; eheu! quam deserti, inculti omniisque numine vacui omnes fere anguli iacent. Vix puer natus est, & sacro fonte abluitur, hic parentes & sponsores deceret coniunctis precibus Deum pro salute parvuli deprecari, eumque gregiboni pastoris Iesu Christi votis adiungere, cui agnorum salus quam maxime curae cordique est: ita fieri deberet; sed quam nefarie christianus populus a principe & duce suo defecit. Iesus Christus infantes ad se perlatos amplexus, osculatus impositis manibus DEO commendatos a se dimisit: hodie autem plerique cum infantem DEO offerre & consecrare debent, omnia ad luxum & lasciuiam componunt, & nihilominus impudenter satanae renuntiant, quem tamen habitu totaque vita colunt; post comissantur, epulantur & tempus scurrili sermone, iocis similibusque ab Apostolo tam grauius vetitis transigunt, grauissimum seruatoris effatum homines de quoquaque inani verbo rationem reddituros nil curantes, quasi non ad nos pertinens.

Sed pergamus, & videamus, qua ratione educatio porro procedat. Cum parentes in hoc negotio adiumentis indigeant, paucissimi tamen sunt solliciti, ut homines idoneos

& fideles ad id deligant: fatuae itaque ac delirae mulierculae plerumque constituuntur, harum fidei puerum committunt, in harum contubernio & disciplina prima quasi rudimenta ponere debet; hae cum ipsae omni bono sint vacuae, quid quaeso instillabunt teneris animis, nisi fabulas & prodigiosa commenta? Quantum inde damnum nascatur, dici vix potest, licet multi contemnant: ridiculae enim & ineptae opiniones radices adeo altas agunt, ut diligentissima institutio vix ac ne vix quidem euellere possit; inde fit, ut fidelibus magistris postea cum tot vitiis confictandum sit, quae facilius prohibentur, quam superantur. Si quis dicat, non posse alter agere parentes, paucissimis enim rem ipsam adgredi licere, bonorum autem tantam esse penuriam, ut difficile sit inuenire, quorum conspecta atque probata fides sit: non negamus hoc, sed pessimam multorum consuetudinem modo vituperamus, qui omnem suorum curam a se amoliuntur, totosque se alienae fidei in re tam graui & proxime ad parentes pertinente permittunt, quam incuriam ipsi iam ethnici scriptores grauiter reprehenderunt. Inanis praeterea est excusatio, quam plerique negligentiae suae praetendunt, negotiorum aliorumque impedimentorum turbam & necessitatem caustantes. Quaesumus enim vos, in quasnam res maximam partem studii & operae vestrae confertis, qui hac ratione officio vestro vos subducitis? Nonne res vanae plerumque & cadueae sunt tantis moliminibus indignae? Conquirunt multi diuitias, inexplebilis auri fames eos conficit; interrogati liberis se prospicere dicunt: interim dum mentem in sordibus huius seculi desigunt, nihil minus eos angit, quam pia & decens suorum educatio. Nonne insania, immo furor est, colligere pecunias pro liberis, & hos negligere, in quorum gratiam colligi dicuntur? Nec licet hic excipere, multos vera munerum ratione ita distringi, ut familiae cura ab iis exigi nequeat: vt enim hoc concedamus, quod nemini umquam prudenti negare in mentem venit, vix tamen centesimus parer est, qui obiecto perfidiae in suos crimine se purgare possit.

sit. Obrutum te esse laboribus & molestiis conquereris, forte infirmum hoc malae causae praesidium est ; quis te obruit ? Cur prauis cupiditatibus tuis habenas permittis, vt tam late euagentur ? Cur non coeres & reprimis ? Si didicescent miseri mortales paucis esse contenti, magna laborum parte supersedere possent. Verum quid mirum est ? si quis deposita mentis suae immortalis cura animum in res tam humiles & sordidas abiicir, quomodo ad aliorum commoda erit intentus ? Late patet atri janua ditis : at reuocare gradum, & superas euadere ad auras hoc opus, hic labor est, quem plerique declinant, pecorum more sequentes eos, qui praeceunt, & eunt, quo itur, non quo eundem est. Sed fac, dari non nullos, qui educationis negotium aliis committere cogantur, hisne ideo securis esse licebit ? Falluntur sane, si hoc autuant. Oculus Domini saginat equum, qui aliis nimium confidit, facile decipitur, & socordiam sero dolet.

Alia adhuc supersunt, impedimenta, quibus efficitur, quo minus DEus prosperos successus liberorum educationi dare possit. Negliguntur a plerisque parentibus preces, & aliena ab iis putatur animarum cura, quippe ad solos verbi diuinii praecones reiicienda. Ex quo fit, vt multi ad adultam aetatem perueniant, qui ne quidem quid Dominus fieri velit, intelligunt, tantum abest, vt eum colant : inde tanta rerum diuininarum ignorantia apud plebem tanta ferocia vt illi, qui paullum in hominum mores inquirit, ad visa & auditam cohorescendum sit. Pulcherrima & notata digna sunt, quae Paulus Apostolus de matre & aia Timothei commemorat, quarum pietas & solertia in formando instituendoque Timotheo valde conspicua fuit, quod studium etiam prioribus seculis apud Christianos adhuc floruit (a) Memorabilis imprimis est Monica, Augustini mater, quae, cum filium in iuuentute furentem audacia & sceleribus coopertum videret, DEVMT tamen pro salute illius precibus & lacrimis fatigare non de-

---

(a) Vid. Arnoldi primi Christi, descr. lib. IV, c. 4.

stetit, ut Ambrosius, celeberrimus ille Mediolanensium episcopus saepius dixisse feratur, filium tot lacrimarum perire non posse: quod eum minime fecellit, vt ex toto confessionum Augustini libro, lectu sane dignissimo, abunde patet. Iuuenilis aetas non minoribus periculis est circumsepta. In illa circumspectiendus est praceptor, in cuius contubernio viuat filius. Sed quam grauis statim plurimis videtur impensa in praceptorum facienda. Mille rebus vanis pecuniam vexant, eumque praceptorum optimum putant, qui vilissimo pretio conducitur, quam stultam avaritiam poeta (b) iam reprehendit

*Hos inter sumus (inquiens) sefertia Quintiliano  
Ut multum duo sufficient. Res nulla minoris  
Constatib[us] patri quam filius.*

Neutquam quidem probantur illi magistri, qui in erudienda iuuentute mercedi imminent, neque amore Iesu Christi, sed lucri cupiditate ad hoc negotium accedunt: interim tamen illorum avaritia sordida & detestabilis est, qui liberorum suorum magistros contemnunt, & instar seruorum habent. Primum vero in eligendo praceptor est, vt talis constituatur, cuius pietas & fides constet, in lubrico enim aetatis non praceptor modo, sed vitae morumque custos & rector quaerendus est. Pauci autem de eo sati sunt solliciti: nam qui praeclare adhuc agere & de salute suorum optime mereri volunt, doctum modo & eruditum circumspiciunt, ad vitae sanctimoniam nihil vel parum attendentes. In delectu scholarum raro quoque debita cautio adhibetur, quarum tamen status plerisque valde corruptus est praesertim ob effrenatam licentiam, quae pestis academias Germaniae quoque adhuc depopulata est, vt, cum virtutis officinae esse debeant, a plerisque in scelerum sacraria conuertantur, id quod omnes bonos omni tempore grauiter adstinxit. Quod autem ad quaestionem atinet, vtrum publica an priuata institutio praefest, eam quidem

---

(b) Iuuenalis l. 3. sat. 7.

dem antiquiores & recentiores multi non uno modo soluerunt, sed, vt nos in praesenti controuersiae huic immiscaemus, instituti ratio non permittit (c)

Superfunt adhuc plura in domo priuatâ, quae ad iuuentutis corruptionem multum conferunt, mala nimirum exempla ubique in familiis obuia, quae damnum ingens infertunt. Haec aetas enim magis exemplis quam doctrina regitur. Iam vero satis apertum est, liberos pene nihil videre & audire, quod emendare possit: contra plura, quibus naturalis corruptio irritata in summam impietatem degenerat. Triste nobis ac luctuosum est ea proferre, quibus quotidie ingemiscimus, dum in formanda iuuentute occupamur. Tu pater vocaris, & tot maledicta & execrations quotidie coram liberis tuis euomis, quid mirum, si a te discunt & in vicis ludentes praetereuntium aures tot conuiciis conscelerant, vt nisi exempla vbitis obuia essent, in tam pusillo corpore tanta nequitia & oris impudentia vix cogitari posset. Si pater est violentus, & voluptatibus indulget, cur miramur filium in eodem luto haerere; mali corui malum ouum. Cogitent secum iuuentutis corruptores grauissimum Seruatoris effatum, illis dirissima quaevis imprecantis, qui paruulos exemplo suo in perniciem praecepit agunt. Ridentur hoc a plerisque, sed est haec miseris mortalium, minus putare atrocia, quae communia sunt facta, & quorum necessitatem perditum seculum inuexit. Certe si vnum ex altero cogitamus, non amplius mirandum videtur, quod plurimi iuuenes pereunt, id potius singulari DEI beneficio tribuendum, quod aliqui adhuc seruantur,

---

(c) Placet hic modestia Caroli Rollini, Rectoris antiqui vniuersitatis Parisiensis, non eadem omnibus conuenire putantis, alias enim tutius priuatim, alias melius publice instruiri; permittendum itaque rem parentum iudicio, quid omnibus probe expertis suis utilessimum credant: eo enim reddit mens illius postquam in utramque partem ex Quintiliano rationes adduxerat dans la maniere d'enseigner & d'étudier les belles lettres Tom. IV. L. VI. art. 2. p. 437.

uantur, quibus pectora de meliori luto finguntur. Quam  
graues saepe inter vnius familiae homines inimicitiae sunt,  
quam frequentes rixae, quam capitalia odia aluntur? Haec  
omnia liberis innotescunt, vident, quantas procellas & ani-  
morum motus effrena ira excitet, quid mirum, si omnes lu-  
minis diuini scintillae extinguntur, & non nisi ferocia & con-  
tentus DEI diuinique ordinis conspicitur. Licet circumire  
loca publica, licet vicos & regiones vrbis peragrare, si cui dc-  
mos priuatas inspicere non est datum; eheu! quanta petu-  
lantia quanta feritas iuuentutis, futuri illius populi, spei patriae  
& parentum. Certe in medio christiano orbe barbaries plus  
quam Malabarica cernit: nam iuuentus quae vrbium flos  
foliatum & ornamentum esse deberet, earum sentina & pestis  
facta est. Sed quis est in culpa? parentes profecto & alii qui  
familias constituunt in ferali hoc incendio pessimam caussam  
habent. Nondum sunt omnia quae commemorare possumus,  
plura adhuc in promtu habemus. In liberis educandis bene  
ordinata & prudenter adhibita disciplina magnum momen-  
tum confert: malitia enim & exultanti animi lubidini disci-  
plinae seueritate obuiam eundum est. Sed in arduo hoc ne-  
gocio plerique ad extrema prolabuntur; pauci medium ser-  
nare viam norunt. Qui ad iram sunt proni & in quibus ma-  
gna naturae a speritas est consuetudine in super aucta, ad quae-  
uis leuia etiam delicta vehementer excandescent, omnemque  
bilem mille conuiciis & execrationibus effundunt, in crines  
inuolant, & quidquid ad manus est siue calceus fuerit siue mal-  
leus in irae & furoris instrumentum conuertunt. Alii dum  
Charybdin vitare volunt in Scyllam incident. Vident nequi-  
tiam & petulantiam suorum sed peruerso & insano amore  
ex caecati patienter ferunt, & vix vnquam vltra frigidas admo-  
nitiones progrediuntur, morbi statim aut mortis pericula ex-  
timescentes si seuerius filium increpare opus esset. dum itaque  
tergiuersantur, malitia liberorum crescit & tandem adeo ro-  
boratur, vt non amplius virga & scutica, sed ergastulo laqueo  
& ferro sit reprimenda. Ita a teneris adsuescere multum est:

fran-



franguntur enim citius quam corriguntur quae in prauum  
induruerunt. At eorum qui ferunt nimis patienter suorum  
petulantiam, in corruptissimo seculo modica adhuc est insa-  
nia: inueniuntur non pauci qui ea delectantur & vitiis quae  
castigari decet virtutum nomina imponunt quae laudem &  
adplausum mereantur. Iocos, cachinnos, ludos, lepores, scur-  
ilitatem, comissiones & saltationes ad honesta oblecta-  
menta referunt, quibus iuuentutem priuare nimia morositas  
sit. Multi certe iure id in nostris scholis se desiderare putant  
quod iuuentutem nostram ab his omnibus arceamus, hoc  
praeferimus argumento usi; huiusmodi homines quos seuerior  
disciplina constringerat, ex claustris scholasticis emissos inso-  
lita libertate minus vti posse quam alios, quibus remissius vi-  
vere & educari contigerit. Non pari ratione animati in nos  
sunt qui haec obiiciunt: alii non mala mente id faciunt prout  
ipsi rem perspiciunt iudicantes; alii vero criminacionis cau-  
sam inde petunt, putantes se reperisse non quod pueri in faba.  
Nobis autem viam quam semel ingressi sumus deserere ani-  
mus non est neque per Dei gratiam vñquam futurus est. Iu-  
dicia hominum Dei iudicio merito postponimus, perditum &  
inanem laborem nostrum arbitrantes, si modo ad vitam hanc  
breuem & caducam pertineret, aeterna spectamus: aeterni-  
tatis vero studium serium valde est, omneque vitae tempus  
& omnes animi corporisque vires suo iure sibi vindicat. Id-  
eo nostris concedere non possumus, quae frustra a nonnullis  
vt licita iactantur; sed quam diu aetatis studiorumque ratio  
eos intra contubernium nostrum tenet, merito illos a tanto  
periculo prohibemus: quod si autem studia eorum extra scho-  
lae limina proferuntur, in nostra quidem potestate non est  
vitam & mores illorum regere; neque tamen iure disciplina no-  
stra argui potest, si forte unus atque alter nimia insolitae li-  
bertatis impatientia effrenatam peccandi licentiam sibi sumit.  
Sed redimus ad institutum nostrum. Haud raro quoque con-  
tingit vt parentes nimium indulgentes indignentur, si magi-  
stri liberorum lasciviam & petulantiam verbis aut verberibus

castigare coguntur, qua indignatione nihil indignius est; addit praeterea peruersae indolis liberis animos, vt alienam parentum a praceptoribus mentem cernentes nequitiae praesidium in illorum intempestiva lenitate quaerantur. Ne longiores simus paucis adhuc ostendere luet, qua ratione multi parentes etiam liberorum in litteris progressum impediant. Culpandi merito sunt isti qui suos domi non continent & circumuagari vndique patiuntur. Quid quaeſo omnis magistrorum labor proderit, niſi parentes domi liberos ad diligentiam excitent? Deteriores adhuc ii sunt qui quacunque leuissima de cauſa a schola suis abesse permittunt. Similat filius capitis dolores, aut digitum contusum ostendit, vnamque fassam lacrimulam fundit quam vix vi terendo oculos expressit, ſolida haec & grauis videtur ratio domi manecadi. Alii continuis itineribus sine necelitate ſuceptis (d) studiis tempus furantur. Alii alii de cauſis scholae ſe subducunt conſciis parentibus; interiti tamen non raro aliqui eo impudentiae progrediuntur, vt cum liberos rudes & incultos mansiſe euentus doceat, ſuae negligentias obliiſ praeceptoribus & scholis iraſcantur. Haud pauci quoque in eo peccant quod nimis festinanter ſuos in academias protrudunt. Pauci hodie curriculum ſcholasticum rite abſoluunt, vix latine legere didicerunt & ſcholam ſuperbe fastidiant. Inde tanta imperitorum & rudium hominum in academii turba qui deinde prauis ſocietatis implicati inutilia terrae pondera fiunt. Praepotere etiam agunt qui licet bono confilio tempus adhuc in ſchola transfigendum ſuis definiunt, eos hac ratione ad diligentiam excitandos rati, quae tamen ſpes frequentillime fallit: nam multi diſcipuli menſes dies & horas numerant impatiētesque moras deliciae ſe dedunt, frena mordent & aureae vt putant, libertatis immoda cupiditate incensi, bonum ordinem & ſalutares leges conculcare audent nihil mali intentatum relinquentes, vt eo citius ferulae ſe subducant. Inconfite pariter agunt qui ſi forte liberos militiae aut aliis artibus destinarunt quae litterarum adminiculis minus indigere putantur, illis dicere non erubescunt, non eſſe opus multa facere ſudare & algere; qualemeunque & tumultuariam rerum ſcientiam illis ſufficere. Freno hoc in plerisque preſecto opus non eſt, pauci tanto impetu currunt ut retineri oporteat. Sed fatis hac de re dictum eſt. Reſtat vi ſcriptionis huius occaſionem propius lectoribus exponamus. Dimittimus ex ſchola noſtra tres ſelectae classis alumnos qui d. XII. April. nouiſſimas apud nos orationes habebunt. Primus eſt

IOHAN.

(d) Conf. Viri Cl. Hieronymi Freyeri programma hodoeporiticum anno ſupiore publicatum,

IOHANNES ANDREAS ROTTENBERGER, Ilma-Schuuartzburgicus, qui de gloriae natura generatim dicet. Excipit hunc IOHANNES MATTHIESEN, Flensburgo-Holsatus qui veram & solidam Christianorum gloriam carmine germanico praedicabit. Agmen claudit HIERONYMVS BRVCKNER, Wittmunda-Frisius, qui de gloriae Christianorum praestantia sermone latino verba faciet. Nihil a nobis praetermissum est quod ad veram eorum salutem pertinet, neque ipsi officio suo defuerunt. Faxit DEus immortalis ut a nobis discendentes scopulos academicos effugiant, rationesque suas per omnem vitam diuini spiritus lumine & ductu ita subducant, ne unquam illos vixisse & apud nos fuisse poeniteat. Caeterum litterarum patronos & fautores publico nomine rogamus, ut non solum ad audiendos iuuenes ornatissimos frequentes confluere sed etiam examini d. XII & XIII, Aprilis habendo ea qua iam pridem consueverunt benevolentia interesse velint. Figemus hoc beneficium trabali clauo & iuuentutem nostram bonorum virorum praesentia non parum excitatum tibi confidimus, P.P.  
Halae Magdeburgicae d. XI. Aprilis A. O. R. clo. Iccc XXXIV.

---

### Conspectus orationum ex Class. selecta.

1. IOHANNES ANDREAS ROTTENBERGER, Ilma-Suarzburgicus, de gloriae natura ager.
2. IOHANNES MATTHIESEN, Flensburgo-Holsatus, de vera & solida Christianorum gloria dicet carmine germanico.
3. HIERONYMVS BRVCKNER, Wittmunda-Frisius, de gloriae Christianorum praestantia verba faciet sermone latino & scholam simul suo & commilitonum nomine valere iubebit.  
FRIDERICVS CHRISTIANVS STRVVE, Primislauia-Vckeromarchicus, Cl. I. alumnus carmine latino elegiaco de praecoci iuuentute locutus abeuntibus ex utraque Classe bene precabitur.

*Reliqui ex Class. I.*

1. MARTINVS GODOFREDVS KLEMPE, Belgardo-Pomeranus, de praestantissima Pauli scientia ager sermone graeco.
2. IOHANNES REGIVS, Halensis de foeditate Bacchanal, apud ethnicos sermone latino.
3. SAMVEL BERNARDVS KERN, Custrino-Neomarchicus, de foedissima eorundem apud Christianos imitatione carmine germanico.

4. **AVGVSTVS FRIDERICVS PISTORIVS**, Loburgo.  
     Magdeburgicus de ambitione recta ad atheismum via latine.  
 5. **IOHANNES CONRADVS KELLERHAVS**, Lippia-  
     Guestphalus, de voluptate trita ad atheismum via germanice.  
 6. **CAROLVS LEBRECHT STUVZING**, Erdeborna - Mans-  
     feldensis, de senectute immatura carmine latino.  
 7. **GEORGIVS WILHELMVS MULLER**, Wezlariensis, de  
     capienda piorum ex cruciatibus Iesu voluptate locutus suo, parti-  
     ter & commilitonum nomine ultimum vale dicet sermone ger-  
     manico.
- 

*CONSPPECTVS EXAMINIS.*

*d. XII. Aprilis*

*h. VIII - XII.*

- |  |                           |
|--|---------------------------|
| 1. Theolog. V.                               | 4. Latin. V.              |
| 2. Latin. VII.                               | 5. Latin. IIII, inferior. |
| 3. Latin. VI.                                | 6. Latin. IIII, superior. |
| 7. Examen & actus oratorius ordinis selecti, |                           |
| 8. Musica I.                                 |                           |

*h. II - V.*

- |                            |                            |
|----------------------------|----------------------------|
| 1. Theolog. III, inferior. | 6. Graec. I.               |
| 2. Arithm. I.              | 7. Mathem. I.              |
| 3. Geogr. I.               | 8. Mechanica,              |
| 4. Histor. I.              | 9. Theolog. III, superior. |
| 5. Ebraea I.               | 10. Music. II.             |


*d. XIII. Aprilis*

*h. VIII - XII.*

- |                          |                              |
|--------------------------|------------------------------|
| 1. Theolog. VII.         | 6. Latin. III, superior.     |
| 2. Graec. II.            | 7. Latin. II, inferior.      |
| 3. Graeca III.           | 8. Latin. II, superior,      |
| 4. Ebraic. III.          | 9. Latin. I, cum sermonibus. |
| 5. Latin. III, inferior. | 10. Theolog. III, inferior.  |

*h. II - V.*

- |                  |                             |
|------------------|-----------------------------|
| 1. Theolog. VII. | 6. Gallic. I.               |
| 2. Graec. III.   | 7. Histor. II.              |
| 3. Geograph. II. | 8. Arithm. II.              |
| 4. Gallic. II.   | 9. Ebraic. III.             |
| 5. Geogr. III.   | 10. Theolog. III, superior. |



Ja 1586



33-50  
Sb

VDA7







27

PROGRAMMA  
QVO  
**LITTERARVM  
PATRONI**

AD AVDIENDAS TRIVM SELECTAE CLASSIS  
*ALVMNORVM ORATIONES NOVISSIMAS*

ET  
**AD EXAMEN SOLENNE**  
IN ORPHANOTROPHEO GLAVCHENSI

D. XII. ET XIII. APRILIS A. CIO IOCC XXXIV.  
*HABENDVM INVITANTVR*  
ET IN QVO

DE  
**HODIERNA IVVENTVTIS**  
CORRVPTIONE EIVSQVE CAVSSIS  
DISSERITVR.

---

HALAE MAGDEBURGICAE  
LITERIS JOHANNIS CHRISTIANI HENDELII.